S. 249

Cl.me du D. Schwartz, affinis car.mi
Mallem declinasses ad nos: agerem us
inter nos de ἱερατικοῖς negotijs, in cujus
generis hominum nec paucis adeo, pro-
phana omnia, nec orationem excipio: et
secundo populo agunt quidlibet: in ner-
vum aliquando ibit hæc tyrannis. Ita
occupatus sum, ut non possim: ita defa-
tigatus, ut pluribus scribere tædeat. Mi-
nus etiam necesse est. Invenis enim in
isto diversorio duos adolescentes nobiles
domesticos meos, Bellinum et Cœderitium
quorum ille triennium jam vixit domi meæ,
et potest te docere nonnihil de controversia
de privatis plærisq multum. Hic prorsus
mitescent διαῤῥοῖα illa et δυσχυτερία:
fuêre superiore ἐπιδομάδι funera quinq:
pauculi decumbunt et ij convalescunt: in
ijs Ovenus, qui in alterum mensem peri-
clitabatur, unus de quatuor ἀσρετικοῖς,
ut nos habet hostis noster, et facilè pro-
bat luculentis mendacijs et impudentibus
calumnijs. Silibet, audi quoq, cui has
ad te dedi, M. Christophorum Glaserum
qui recta ex ædibus meis fratrem salutatu

proficiscitur. Spira rediens, omninò nos
uise: sic pollicitus es, sic rectum est: secus
præter officium facias: nec te tenebimus.
Ecquis Suerino aderit affinium? ut uel
lem, nostri honoris causa, hoc est et
mei et uestri. Sentient enim et dicent
aliqui suspicaces, aut nos uobis non esse
tanti, aut in uobis non esse tantum officij
neq hæc referrem, nisi unus et alter
aures meas obtudissent uerbis ejusmodi
quò magis da operam, ut ad nos uenias.
Ades uerò ad sermones unius sine coena
sine uesperæ. Spiræ uelim ex me salutes
Cl. v. b. b. Vommelium, hominem
officij plenum: qui cum audiet te mihi
affinem, sua tibi studia ultrò deferet:
neq non tu eo rectè uti poteris. Filium
meum b. m. et generum, ex Italia
redeuntes accepit perhumaniter. Vale
Helm. ex ac. Iul. IV. Non. Septem. Cl. Ibi

VESTER

Ζωάν. καρήλιος

Cl.mo et prudentiss.o
viro, dn. D. Joanni
Schwartzio, Consuli
Limensi, affini car.mo

Brandschweig